

Q.K.
415,
23.

1
Pi
2700

DE
ACOLVTHIS
ITERVM DISSERIT

ALIQVOT EX SVIS
DIE VICESIMO MAII

HORA SECVNDA POMERIDIANA

PVBLICE DICTVRIS

AVDITORVM FREQVENTIAM
LINGVASQVE FAVENTES

CONCILIATVRVS

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS
RECTOR.



DRESDAE. LITTERIS HARPETERIANIS.



DE
ACCOLUTIS

LIBRVM DISSERT

ALIQVOT ET SVIS
DIE VICESIMO MAII

ANNO REIPUBLICAE ROMANAE

MDCCCXXXV

ANNO DOMINI MDCCCXXXV

LANGVAGORVM FAVENTIS

CONCILIARIVS


DE CERTIVM GODFRIDVS GRABNERVS

LECTOR



PRESDIVS LITTEAE PUBLICAE





VINDICIAE LITTERARVM CORNELII ROMANI PRAESVLIS
EXSTANTIVM IN EVSEBII HISTORIA ECCLESIA-
STICA L. VI. CAP. 43.



esse Acoluthorum ordinem saeculo quarto, et Concilio Nicaeno, antiquiorem, nuper probauimus. Nunc illud agemus, ut, eundem iam medio saeculo tertio floruisse, ostendamus. Claruerunt eo tempore CORNELIVS, et CYPRIANVS, ille *Christianorum Romanorum*, hic *Carthaginiensium*, praesul. Vtrique litteras reliquerunt, quae huius rei documenta continent. Seruauit nobis EVSEBIVS (a) epistolam CORNELII ad FABIVM de iniquis NOVATI

A 2

cona-

(a) L. VI. Cap. 43, *Histor. Ecclesiast. edit. a VALESIO, p. 244:*

Ο δὲ ἐκδικητὴς τῆ εὐαγγελίᾳ ἐκ ἠπίσταντο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ἣ ἐκ ἠγνεί, πῶς γὰρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκοιθέτες δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἑξοριστὰς δὲ, καὶ ἀναγνώστους, ἅμα πυλαροῖς δύο καὶ

conatibus, in qua quadraginta duorum Acoluthorum ad coetum Christianorum Romanorum pertinentium meminit. Hos a CORNELIO memoratos Acoluthos sacri ordinis uiros fuisse, vel inde patet, quod omnes illi, quibus annumerantur, sacrorum quondam cura inclaru-
runt, ipsique Acoluthi ab eodem CORNELIO uiris adiunguntur, quorum uictui inter uiros in sacris necessarios gratia diuina prospiciat (b). Accedit auctoritas CYPRIANI (c), ex cuius litteris intelligimus, Acoluthorum iudices uiros fuisse sacris muneribus ornatos, et eosdem, qui Hypodiaconorum, eorundemque damnationem metum incussisse uiris operam officii sacris danibus, quin cum exclusione tum a ministerio sacro, tum ab emolumentis ordinis sacri uirorum,

CON-

πεντήκοντα, χήρας σὺν θλιβομένοις ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας, ἐς πάντας ἢ τὸ δεσπότης χάρις καὶ Φιλανθρωπία διατρέφει. Ὅν ἐδὲ τοῦτο πλῆθος καὶ ἔτως ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τῆς τῷ Θεῷ προνοίας, πλεσιός τε καὶ πληθύν ἀριθμὸς μετὰ μεγίστε καὶ ἀναριθμήτε λαῷ ἀπὸ τῆς τοιάυτης ἀπογνώσεώς τε, καὶ ἀπαγορεύσεως, ἐνέτρεψέ τε, καὶ ἀνεκαλέσατο εἰς τὴν ἐκκλησίαν. (b) Locum iam citato: Ὅς ἢ τὸ δεσπότης χάρις καὶ Φιλανθρωπία διατρέφει, πλῆθος ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. (c) Epistola XXXXIII, p. 68, operum a IOANNE OXONIENSI Oxonii 1682 editorum CYPRIANVS ita scribit: *Desiderastis quoque, ut de Philumeno et Fortunato, Hypodiaconis, et Fluorino, Acolutho, qui medio tempore recesserunt, et nunc uenerunt, quid mihi uideatur rescribam. Cui rei non potui me solum iudicem dare, quum multi ad huc de Clero absentes sint, nec locum suum uel sero repetendum putauerint, et haec singulorum tractanda sit et limanda plenius ratio, non tantum cum collegis meis, sed et cum plebe ipsa uniuersa. Expensa enim moderum circa ministros ecclesiae constituat exemplum. Interim se a diuisione mensura tantum contineant, non quasi a ministerio ecclesiastico priuati esse uideantur, sed ut integris omnibus ad nostram praesentiam differantur.*

coniunctam esse potuisse. Perferebant *Acoluthi*, ut muneris sui, litteras de rebus sacris scriptas. Quod quum CYPRIANVS (d), *per Clericos scribere*, nominet, *Acoluthos* munus sacrum obiisse, testis euadit, ut taceam, eundem CYPRIANVM (e) *Acoluthum* quendam, *Saturum*, fratrem compellere, qui antea *Lector* fuisse uideretur. Quem ad modum autem haec omnia argumento sunt, *Acoluthos* tum iam eminuisse dignitate ordinis sacri, sic locus medius, quem apud CORNELIVM inter *Hypodiaconos* et *Lectores* illi obtinent, indicio est, illorum ordinem ex minorum, quos uocant, numero fuisse. Verum enim uero sunt, qui, ut *Acoluthorum* ordinis nescium fingant tertium post natum Christum saeculum, hoc CORNELII testimonium infringere ac infirmare, magnopere laborant. *Nomina*, inquit (f), *non ordines diuersi, recensentur. Administrationes fuerint diuersae, ordines, & quidem sacramentales, esse, unde probatur?* Sic autem non de ipsa re, sed de rei nomine, disceptare uidentur. Diuersi enim ordines nominibus quoque, ac officiis, differant necesse est, et, si ordo sacer collegium res sacras administrantium dicendus est, res sacrae autem uel ad internum, uel ad externum, numinis cultum spectant, et in sacris rebus posterioris generis *Acoluthi* sine dubio fuerunt occupati, illis sacri ordinis honor omnino uindicandus est, praesertim quum plura eiusdem honoris signa animaduersa in eis iam supra (g) tradiderimus. Duas autem quaestiones non satis uidentur distinxisse dissentientes, nimirum illam: Num *Acoluthi* tum ordo sacer? et hanc: Num ordo sacramentalis? fuerint. Priorem omnino affirmandam ob antea dicta statuo, quum posteriorem nemo non inficiaturus sit, qui sacramentalia, uti barbare uocantur, munia inter

A 3

somnia

(d) *Epistola XXVIII. p. 55.* (e) *Epistola LVIII. coll. Epist. XXVIII. XXXII. XXXV.* (f) Conf. IOANNES GEORGIUS DORSCHÉVS in *addendis ad exercitationem ad Concilii Nicaeni I διατάξιν de sacra synaxi coenae dominicae a GELASIO CYZICENO commemoratam.* (g) Conf. litteras b, c, d, e.

somnia pontificia referunt, saeculo tertio recentiora. Ex eo autem conficitur, negata posteriori, nondum uacillare ueritatem prioris. Quae quum ita sint, aliis, iisque grauioribus, argumentis opus erit dissentientibus, ut de fide testimonii huius CORNELIANI detrahant. Huic igitur consilio inhaerentibus in mentem uenit totum illum locum suppositum, et, nescio qua manu, litteris CORNELII insitum, iudicare. *Vix, aiunt (b), uiginti quinque annis prius Vrbanus, Episcopus Romae, non, nisi duos sacros ordines, agnouit, unde esset intra paucos annos Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, et Ostiariorum, institutio?* Citantur autem haec uerba VRBANI: *Sacros ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiua legitur ecclesia habuisse.* Sed, ne quid dissimulem, caussae mihi non desunt, quae hoc effectum, VRBANO tributum, ualde dubium reddunt. Primo enim *Collectio conciliorum regia maxima* tale VRBANI decretum nescit. Deinde haec feruntur a CLEMENTE (i), Praesule Romano, scripta: *Tribus gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, presbytero, diacono, et ministro, et ANACLETVS (k) Subdiaconos, et reliquos ministros, memorat, quin HYGINIVS (l), clerum composuisse, et distribuisse per gradus, narratur.* Qui autem Romanorum Christianorum antistites quum ante VRBANI tempora floruerint, et ordinum minorum meminerint singuli, unanime eorum testimonium infirmat maiorem in modum auctoritatem et fidem testimonii recentioris ordinum minorum ignari. Ponamus uero, esse illud, quod traditur, decretum VRBANI, id tantum eo probari poterit, *Acoluthos* nondum ius ordinis sacri tum temporis esse consecutos, aut VRBANVM ordines modo maiores sacros compellare, non autem tum *Acoluthos* nondum extitisse, aut CORNELII aetate in ordinem nondum fu-

(b) Conf. DORSCHÉVS *loc. cit.* (i) *Epistola II, p. 105. Tom. I. Concil. collect. reg. max.* (k) *Epistola I p. 139. Tom. I. Concil. coll. reg. max.* (l) *Ex libro pontificali DAMASI Papae haec referuntur p. 213. Tom. I. Concil. collect. reg. max.*

fuisse conscriptos. Accedit, quod a solo silentio auctoris argumentum satis firmum peti non possit, et, quum CORNELIVS quartus ab VRBANO praesul fuerit, tres illi, quorum praesulatus intercessit, sacrorum antistites uiginti quinque annorum interuallo permulta immutare ualuerint. At ceteras dissentientium rationes audiamus! *Circa annum Christi CCLIII, quo Cornelius Romanae ecclesiae praefuit, inquirunt (m), tantus horum ministrorum numerus nec necessarius fuit, nec facile credi potest. Prius facile ex temporum ratione liquet, quibus in arcto et obscuro congressis Christianis, qui Subdiaconis, Acoluthis, et similibus, usa fuisset? Posterius etiam manifestum est. Quid Acoluthis opus est, qui cum cereo accenso sequantur Diaconum ad locum euangelii, et urceolos atque ampullas ad sacrificium praepararent, ac Subdiacono porrigerent? Ista quidem insolentia illi saeculo non competit. Videntur sane dissentientes, si quid intelligo, existimare, soli studio arrogantiae, magnificentiae, uitaeque commode agenda, ordines sacros minores originem suam debere. At quo sententiam suam probabunt? Attendi potius illa merentur, quae IOANNES CESTRIENSIS RIGALTIO opponit: Pace Rigaltii crediderim, inquit (n), non ad fastum, ad regnum, et dominandi libidinem, subdiaconatum, aliosque tam inferiores, quam superiores, in Clero gradus ecclesiae inuectos, sed ad necessarios pietatis christianaе usus fuisse adhibitos. -- Si quis primitiuae ecclesiae statum perpenderit, ad conuentus sollemnes uirum omnes conuocandos, et non sine delectu et excubiis postea admittendos, nuntios non modo in regiones uicinas, sed longe dissitas, subinde ablegandos, aegrorum, pauperum, catechumenorum, lapsorum, martyrum, uinctorum, ad metalla damnatorum, et demum mortuorum, perpetuam habendam esse curam, non mirabitur, in tot negotiis, tam spissis, tam uariis, tam laboriosis, et periculo plenis, plurimos, qui ea procurarent, fuisse adhibendos, et post Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Acoluthos, Ostiarios, in solli-*

(m) Conf. DORSCHVEYS l. c. (n) In notis ad Epistolam VIII CYPRIANI, p. 16.

citudinis ecclesiasticae partem subrogari. Si igitur tam multa ac uaria officia primis sacrorum Christianorum curatoribus incubuerint, Christianis quoque in arcto et obscuro congressis omnino Subdiaconis, Acoluthis, et similibus, opus fuisse, intelligimus. Facile quidem largior, ea munia, quae dissentientes uerbis supra prolatis Acoluthis asserunt, aevi illius simplicitati non conuenire: Quum autem non eadem, sed multo simpliciora, magisque necessaria, et utiliora, CYPRIANVS iis tribuat, Acoluthorum officia, ut usui, sic illius saeculi moribus, optime respondisse, existimo. Sed pergunt dissentientes: *Ilia uerba, inquientes (o), neque cum antecedentibus, neque cum scopo, cohaerent. Accusatur Noia-tus, quod se illis, quos in suas traxit partes, Romae Episcopum praefici curauerit, quum sciuerit, in Ecclesia Catholica non, nisi unicum, Episcopum esse oportere. Huic accusationi quomodo cohaeret, quod subiicitur: In ecclesia catholica non ignorabat Presbyteros esse 46, Diaconos 7, Subdiaconos 7, Acoluthos 42, Exorcistas cum Lectoribus et Ostiariis 52? Qui non potuit ignorare, in ecclesia Romana esse tot Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios, tot uiduas, et aegrotantes, tot opulentos, ille non debet se ad alterum Romanae Ecclesiae constituisse Episcopum. Quae est consequentia? Qui uidet tantam, tamque Ecclesiae necessariam ministrorum multitudinem, tantum egentium Dei prouidentia lucupletatum, auctumque, numerum, qui rerum abundantia circumfluit, tam magnam, et fere innumerabilem, populi frequentiam, is debuit desistere ab ambiendo Ecclesiae Romanae Episcopatu? Quis uidet, ista *ὁμοιότης* esse, et consequenter insititia. Cornelius sane suae sedis ordinem melioribus rationibus tueri nouit. Ingenue fateor, me CORNELII litteras legentem ac relegendem, non eam, quam dissentientes eliciunt, sed plane aliam, argumentandi rationem in illis deprehendisse. Nam, nescio quo fato, seiunxerunt illi a formando ratiocinio uerba neutiquam seiungenda, ista nimirum huius loci prima: Non*

ne-

(o) Conf. DORSCHVEVS *loc. cit.*

nesciebat *Nouatus*, unicum antistitem sacri coetus esse oportere (p). Quae enim si adiungas, ita CORNELIVM ratiocinatum esse, senties: *Qui non nescit, unicum modo antistitem sacri coetus esse oportere, in quo plures aliis ordinibus sacris adscriptos uiros, et esse, et esse oportere, nouit, ille abstinere debet a praesulatus petitione*. Sic autem omnia quam optime conspirant. Primo enim arguitur *Nouatus* conatum comprobata ea toto coetu sacro sententiae repugnantium: *Non, nisi unum, esse oportere unius sacri coetus praesulem* (q). Deinde accusatur impudentiae, quod maiora uiribus suis petierit, dum tria memorantur, quae et grauius, et molestissimum, reddunt munus Romani antistitis, nimirum multitudo uirorum sacris fungentium (r), redivis sacris alendorum (s), et ad Christianum coetum pertinentium (t). Praesulis enim erat praesesse uiris cuiuscunque ordinis sacri, et prouidere, ut illi munia sua iusto tempore, ordine, ac modo, obirent, moribusque essent tali uitae generi congruentibus. Numerat autem CORNELIVS CLIII eiusmodi uiros. Quanta ergo cura, uigilantia, et prouidentia, praesuli ad tot rite regendos uiros opus fuerit, illi, qui aliis praefecti sunt, iudicent. Alebantur redivis sacris non sacris modo muneribus ornati, sed et tot pauperes, tot aegroti, tot captiui, et summa cura ex iusto ac aequo distribuendorum redivis erat penes sacrorum antistitem. Quum igitur tot redivis gauderet sacer Christianorum Romanorum coetus, ut illis alendi iisdem abundarent, facile perspicimus, rem multae operae ac fidei horum redivis administrationem fuisse. Addamus, tum quoque cuiuscunque ordi-

B

nis,

- (p) Ὁὐκ ἠπίσταντο ἓνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. (q) *Councilorum collect. reg. max. Tom. 1. p. 379, idem CORNELIVS ad CYPRIANVM de Confessoribus ad unitatem regressis* scribit, quod haec publice professi sint: *Non ignoramus, unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum spiritum sanctum, unum episcopum in catholica ecclesia esse debere*. (r) His enim uerbis utitur CORNELIVS: *Τεσσεῖτο πλῆθος καὶ ἕως ἀναριθμίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*. (s) Illis enim nutriti uocantur *πλέσσιοι καὶ πληθύνοντες*. (t) Appellatur enim ille coetus *μέγιστος καὶ ἀναριθμητος λαός*.

nis, aetatis, ac uitae generis, Christianos ita commissos fuisse praesuli, ut eo consultore et iudice usi sint, non in rebus tantum sacris, sed et ciuilibus, disciplinamque sacram ab eo pependisse. Sic enim cognoscemus, quot et quantis dotibus uiribusque animi ac corporis praesulem eminuisse, necesse fuerit. His autem omnibus destitutum fuisse *Nouatum*, docet CORNELIVS, dum in his ipsis litteris illum tanquam uirum impium et inertem, quin eum, describit, qui fuerit aliquandiu curae traditus *Exorcistarum*. Quare iure suo postulat, haec omnia debuisse *Nouatum* a petendi praesulatus Romani consilio reuocare, ut igitur in his uerbis haec lateat argumentatio: *Ineptus ad prudenter regendos CLIII sacri ordinis uiros, ad fide administrandam tantam reddituum sacrorum copiam, et ad digne consulendum toti coetui Christiano, praesulatu abstineat!* Quae autem ratiocinatio congruentior nexui esse potest? Suadet ergo ipse cogitationum nexus loci huius uindicias. Clamant denique dissentientes (u): *Non est proportio inter officia sub Cornelii nomine allegata. Quadraginta sex sunt presbyteri. His subordinantur Diaconi septem, et totidem Subdiaconi. Rursus Acoluthi quadraginta duo adduntur, Exorcistae, Lectores, Ostiarii, quinquaginta duo. Quid quadraginta duobus opus est Acoluthis, et caeteris, si Diaconi et Subdiaconi quatuordecim sufficiunt quadraginta sex Presbyteris?* Quodsi haec omnia concedamus, sic illud tantum probarunt dissentientes, mendam aliquam esse in numero citatorum a CORNELIO uirorum, non autem, totum locum esse suppositum. Sed absit error suffragari! Facili enim negotio numerum cuiuscunque a CORNELIO memorati generis uirorum sacrorum uindicare possemus. Quum autem id neque consilii nostri, neque temporis praesentis, sit, id saltem ratione *Acoluthorum* praestabimus. Mirifice enim errant dissentientes, dum opinantur, illo tempore nexum quendam ratione numeri, et necessitudinem mutuam, inter uiros sacrorum a CORNELIO citatorum ordinum intercessisse. Est potius *Presbyterorum* numerus ex aedium

nu-

(u) Conf. DORSCHERS loc. cit.

numero iudicandus, quibus, sacrorum celebrandorum causa, Christiani conuenerunt, et, quum, OPTATO, *Milleuitano praesule*, teste (x), quadraginta, et quod excedit, Christianorum aedes a *Diocletiano Romae* clausae sint, numerus quadraginta sex *Presbyterorum* huic testimonio optime responder: numerus contra *Diaconorum* ex moribus Romanorum Christianorum, quippe qui, auctore SOZOMENO (y), non nisi septem crearunt, et, quum multitudo egentium plures uiros posceret, cuius *Diaconorum* aliquem, nomine *Subdiaconi*, adiunxerunt: numerus denique *Acoluthorum* ex eorum officio, quod tum, ut mox docebo, in eo positum erat, ut antistitem suum ubique honoris ac reuerentiae causa, et tanquam testes muneris ab eo fide, digneque, administrati, comitarentur, et eius mandata, aut etiam litteras, tum ad illos, qui ad hunc ipsum coetum, cui praeerat, pertinebant, tum ad alios coetus Christianos, perferrent. Qui igitur in memoriam reuocabit, quae supra de numero magno uiro- rum sacrorum, Romani antistitis praesidio creditorum, de operosa illa redituum sacrorum cura, et de illorum multitudine, qui tum consilia, tum arbitria, praesulis sui petebant, disserui, et his adiunget Christianorum coetuum illius temporis consuetudinem de rebus posterioribus tam per litteras, quam per legatos, in uicem communicandi (z), ille facile conceder, quadraginta duorum Acoluthorum officiis indignisse praesulem Christianorum Romanorum. Nihil ergo ualent dissentientium tela in hoc CORNELIANVM testimonium uibrata, quum neque VRBANI auctoritas, neque illius aetatis indoles, neque nexus uerborum et argumentationis, neque mutuus ordinum nexus, de illius fide ac ueritate deroget. Patet potius ex illo, *Acoluthos* iam medio saeculo tertio exstitisse, et iure ordinis sacri minoris

B 2

ris

(x) *De Schismate Donatistarum L. II. Cap. 19. p. 734, edit. a VALESIO.* (y) *Histor. Ecclesiast. L. VII.* (z) *Conf. CHRISTIANI NICOLAI KOCHII commentario de legationibus ecclesiasticis ueterum Christianorum. Ienae et Lipsiae 1747.*

ris usos esse. Haec praefatus *actum oratorium* annuncio *decimo tertio Calendarum Iunii* in nostra schola celebrandum. Parat enim discessum in academiam probatae industriae, modestiae, et pietatis, iuuenis, chorique nostri musici praefectus,

IOANNES GOTTLOB SITTMANN,

Berbisdorffensis,

qui *carmine uernaculo* Musis nostris uale dicet, praemissa latina prorsa *de pace, non quidem unico, sed optimo, bellorum fine,* oratione. Dabit se eidem in academiam comitem nostrae itidem disciplinae hactenus alumnus,

HENRICVS GOTTLOB HVBERT,

Dresdensis,

qui *de diuina prouidentia, belli pacisque consiliorum rectrice, latinis uerbis* exponet. Quibus autem ut abitus bene feliciterque eueniat, suo, et condiscipulorum, nomine precabitur

IOANNES CHRISTOPHORVS MEYNER,

Tzschopauensis,

sermone latino *de usu pacis, homine christiano digno,* acturus. Quam ob rem ego non Deum solum, ut horum conatibus, et nunc, et olim, adspiret, sed et OMNIVM ORDINVM AC DIGNITATVM VIROS, oro, ut *dicto die, hora secunda pomeridiana,* praesentia sua, mitique iudicio, eos excitare ne dedignentur, qui in ipsos, tanquam uirtutis et doctrinae exempla imitatione dignissima, intuentur!

Perscripsi in schola nouae urbis prope Dresdam, sexto

Iduum Maii, ∞ MDCCXXXVIII.





1
Pi
2700

DE
ACOLVTHIS
ITERVM DISSERIT

ALIQUOT EX SVIS
DIE VICESIMO MAII

HORA SECVNDIA POMERIDIANA

PVBlice DICTVRIS

AVDITORVM FREQVENTIAM
LINGVASQVE FAVENTES

CONCILIATVRVS

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS

RECTOR.



DRESDAE. LITTERIS HARPETERIANIS

